

pectora, nec misero clipei mora profuit aerei.  
 te quoque Laurentes viderunt Aeole campi  
 oppetere et late terram consternere tergo.  
 occidis, Argivae quem non potuere phalanges  
 sternere nec Priami regnorum eversor Achilles; 545  
 hic tibi mortis erant metae, domus alta sub Ida,  
 Lyrnesi domus alta, solo Laurente sepulcrum.  
 totae adeo conversae acies, omnesque Latini,  
 omnes Dardanidae, Mnestheus acerque Serestus  
 et Messapus equom domitor et fortis Asilas 550  
 Tuscorumque phalanx Euandrique Arcades alae,  
 pro se quisque viri summa nituntur opum vi:  
 nec mora nec requies, vasto certamine tendunt.

Hic mentem Aeneae genetrix pulcherrima misit,  
 iret ut ad muros urbique adverteret agmen 555  
 ocius et subita turbaret clade Latinos.

ille ut vestigans diversa per agmina Turnum  
 huc atque huc acies circumtulit, adspicit urbem  
 immunem tanti belli atque inpune quietam.

continuo pugnae accendit maioris imago: 560

Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum  
 ductores tumulumque capit, quo cetera Teucrum  
 concurrat legio nec scuta aut spicula densi  
 deponunt. oelso medius stans aggere fatur:

'ne qua meis esto dictis mora, Iuppiter hac stat, 565  
 neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.

urbem hodie, causam belli, regna ipsa Latini,  
 ni frenum accipere et victi parere fatentur,  
 eruam et aequa solo fumantia culmina ponam.  
 scilicet exspectem, libeat dum proelia Turno 570

nostra pati rursusque velit concurrere victus?  
 hoc caput o cives, haec belli summa nefandi:  
 ferte faces propere foedusque reposcite flammis.'  
 dixerat, atque animis pariter certantibus, omnes  
 dant cuneum densaque ad muros mole feruntur. 575

scalae improviso subitusque adparuit ignis.  
 discurrunt alii ad portas primosque trucidant,